


S
 Et si multa quae scribam occurrant, venerande frater, quia tamen
 in tam multiplici rerum copia vix vllum finem reperio, hac difficultas
 magis obstat quam argumenti penuria: quia nescio vnde potius incipiam.
 Verum ne pigritia cessare prorsus videar, quae maxime scire cupis breuiter
 perstringam. Gallis infeliciter cecidisse inconsideratum suum ardorem,
 ad vos perlatum esse non dubito. Ab initio vaticinatus sum quod accidit:
 sed nescio quo fascino genere sic capti erant multorum mentes, vt frustra
 impetum illum sedare conatus sum. Antea meis consilijs se regij passij
 fuerant: sed quum intelligerent totam hanc actionem mihi non placere,
 nullum putarunt esse melius compendium quam si me fallerent. Quimetiam
 ex hac vrbe quidam, me vel inscio, vel palam et fortiter reclamante,
 profecti sunt. Quaquam rumor ille, quem dicis apud vos fuisse
 sparsum, de aliquot milibus, vanissimus fuit. Non enim plures septuaginta
 egressi sunt, et quidem ex dimidia parte infima sortis officios.
 Sicut autem eorum expeditio nunquam mihi probata fuit, quia plus
 meo iudicio tentabant quam Deus permetteret: ita consilio destituti
 rem non legitimam stulte et pueriliter aggressi sunt. Cui pra alijs
 erant innoxij poenam dederunt nimia facilitatis. Eodem fere tempore
 in quibusdam prouincia et desolatis vrbus nostrj homines templa
 occuparunt ac si essent votorum ^{iam essent} compotes: verum vt temeritas nunquam
 firma est, vel sibi constat, iniedo terrore statim conciderunt: ac zelus
 ille, quem frustra compefcere studueramus, primo armorum strepitu
 enauit. Quomiam vero palam et aperto Marte non audebant congregari
 Guisiani, blandis et fallacibus edictis sub Regis nomine paulatim fre-
 gerunt eorum animos quorum viribus erant impares. His insidijs
 glarij illaqueati sunt: et dum sibi quisque priuatim consulit, dissipata
 fuit eorum societas. Nunc rebus aliquantum pacatis atrociter seuire
 incipiunt illi carnifices: ac nisi eorum furorj obstaret bellum.
 Scotium, longe deterior esset conditio piorum in Gallia. Nobis vero
 et huic vrbi praecipue minitantur: vbi existimant conflari quicquid
 est barbarum, vel potius captandi praetextus causa se ita sentire fingunt.
 Hoc fere toto mense putarunt vicini de nobis esse actum. Ego tamen vt
 timerem nunquam adduci potui: nec sane videbam timendi causam. Si
 maiora pericula vrgeant, Dei praesidio freti euentum placide expectabimus.
 Quicquid acciderit, in salutem nostram conuertet coelestis Pater: atque
 vt nostrj misereatur aliquid etiam valebit totius Ecclesiae respectus.
 Ignosce quod non propria manu: quia ex lecto dictauj, vbi pro more
 amidi temporis parte decumbo, vt saltem hora aliqua mihi salua
 maneat. Vale praeslantissime vir, et frater mihi ex animo obseruande.
 Dominus tibi semper adsit, te gubernet, ac tuos sanctos labores benedicat.
 Viretus, et Barza, et reliqui collega: mei te plurimum salutant. Genena, quinto
 Calend. Junij, 1560.

Iohannes Calvinus vrbis



Præstantiss. viro, et
proximo Christi ministro,
D. Ambrosio Blanco
Vindobonensi orbi fidelis
pastori,
singulari amico, et
symbulo optimis
seculi. Amen.

